

B. c. D.

REGIÆ ACADEMIÆ  
GUSTAVO-CAROLINÆ

SIVE  
DORPATO - PERNAVIENSIS  
HISTORIÆ

PARTICULAM DECIMAM SEXTAM  
CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS.

PRÆSIDE  
GUSTAVO SOMMELIO,

PROF. REG. ET ACAD. CAROL. BIBLIOTHECARIO.

AD PUBLICUM EXAMEN

DEFERT

JOHANNES MAGN. LINDMARCK,  
SMOLANIUS.

D. XIX. DECEMBER. A. MDCCXCV.

---

LUNDÆ,

Typis BERLINGIANIS.

REGIS

Integræ Fidei VIRIS,

*Nobilissimo & Amplissimo,*

DOMINO

**OTTONI GUST. PETERSOHN,**

Locum Tenenti Turmæ Equ. Dignissimo.

*Admodum Rev. & Præclarissimo,*

DOMINO MAGISTRO

**NICOLAO THEMPTANDER,**

Eccles. Kyrkefalla & Mofalla Past. Fidelissimo,

Adjacentisque Territorii Præposito Dignissimo.

*Admodum Rev. atque Præclarissimo,*

DOMINO MAGISTRO

**CHRISTMANNO DAHLSTEDT,**

Sacr. Coet. in Giötheryd & Traheryd Past. Vigilantissimo.

&

*Amplissimo atque Maxime Spectabili,*

DOMINO

**NICOLAO LINDVALL,**

Geometræ Præfecturæ Junecopensis Ingeniosissimo.

*Patronis & Promotoribus Optimis, Certissimis.*

In Tesseram Sempiternæ Pietatis

ob Maxima Sibi Sapissime Collata Beneficia,

Hoc Opusculum.

D. D. D.

*Nobilissimi, Adm. Reverendorum*

&

*Maxime Spectabilis Nominum Vestrorum.*

Cultor Devotissimus

JOH. MAGN. LINDMARCK.

*Theses Respondentis.*

Utra metaphrasis verborum: **נעשה לנו** Gen. XI. 4. nova hæc Svecana: Görom ofs ett högt märke, an ista Equitis Michaëlis: um uns ein Nahmen bey der Nachwelt zu machen, melior sit dicenda, si quis me rogaverit; illam hac esse accuratiorē, respondere nullus dubito: neutra tamen mihi, Görom ofs ett namn reddend censenti, probatur.

II. Nomen DEI Proprium & Essentiale ירוה, cum in aliis linguis exprimi nequeat, in versionibus retinendum esse contendo.

III. Parum illi Logici attendunt, qui secundam mentis humanæ operationem a prima affirmando & negando distinguendam esse docent.

IV. Logicam, quæ nulla tradit præcepta Rhetorica, maneam dicere nullus dubito.

V. Ullum fuisse tempus, quo homines loquendi facultate caruerint, hoc minus statuere convenit, quod usu loquendi homines a brutis in primis distingui possunt.

VI. Si quis ordo in lingvis, præter eruditas, a nobis addiscendis, observandus est: ut primum Germanica, deinde Gallica, tum Anglicana addiscatur, svaderem.

JOACHIMUS WARNEKE.

Altum de hoc Viro apud BACKMEISTERUM atque GADEBUSCHIUM silentium est, nec facile alibi \*) obvius erit homo literatus quidem, ac Mathematicæ, quam profitebatur, scientiæ haud imperitus, præterea vero de re literaria haud bene meritus. Circa inaugurationem Academiæ, Secretarius ejus fuit, & paulo post Matheseos inferioris constitutus est Professor. Mercimonix vero & economix suæ, quam officii, studiosior, cum munus negligenter curaret, & accedente, quod, infcio Senatu Academico, susceperat, civitatis Dorpatensis munere Consulis, rem Academicam adhuc pejus administraret; a Cancellario Academiæ, ad quem Rector & Consistorium negligentix querelam detulerant, Academico se abdicare munere jubebatur. Abdicavit igitur a. 1638, ac consulatum retinens Consul tandem decessit.

LAURENTIUS LUDENIUS \*\*).

Laurentii Ludenii senioris, Pastoris quondam parochiæ in Dithmarsia boreali Weddingstedensis, filius, Eckernfördæ, oppido Ducatus Sleswicensis, D d anno

ifrån 1600 till 1770 p. 11. 12 recenset. Prognosticon vero anni 1632 a WALLIO in allegata ejus ad Illustriss. SKYTTE epistola commemoratum haud obscure indicare videtur, Calendarium a Schomero etjam pro isto anno consignatum esse; prognostica enim ista ætate Calendariis loca adjungebantur.

\*) Apud ROLOTT I. c. solum nomen occurrit.

\*\*\*) Vitam ejus cum fusius, & allatis, quibus nititur, au-

anno circiter 1592 in lucem editus, Phil. & J. U. D. ac Poëta L. C. Mathematicus fuit, Historicus, Poëta, Orator & Jctus ævi sui insignis, ac Πολυγραφος. In Academia Pomeranorum Gryphiswaldensi munere per 17 annos functus est professorio \*) & initio quidem Poësin ac Historiam \*\*) deinde ab a. 1618. M. Alexandro Christiani Demminensi subrogatus, Mathesin \*\*\*) tandemque ab a. 1627 Ethicem ac Historiam publice docuit \*\*\*\*). Hinc cum fama eruditionis ejus, mare transgressa Balthicum, in Sveciam penetrasset, a regni istius Magnatibus, anno circiter 1633 \*\*\*\*\*) in Academiam

storitatibus vel testimoniis, exposuerit MOLLERUS *Cimbr. Liter. T. I. p. 364*; ab eo expositam, & iisdem, quibus ille utitur, verbis hic repetere satis habeo; non enim, quod addam, suppetit, nisi quod bis, nempe a. 1637 & 1643. Academiæ Rector fuit.

\*) HENN. WITTENII *Diar. Biogr. T. I. ad a. 1654.*

\*\*) Constitutus, secundum GADEBUSCH l. c. 2 Th. p. 203. Poëf. & Histor. Professor.

\*\*\*) DAN. CRAMERI *Lib. IV der Pommerschen Kirchen Chronico c. 47.* & GEORG. CHRISTOPH. GEBHARDI Math. Prof. Gryphisw. Odam in laudes ejus sapphicam, in *Memoriis Mathematicor. Gryphiswald. a. 1693 editis p. 39. 40.* obviam.

\*\*\*\*) Vid. G. C. GEBHARDUM l. c.

\*\*\*\*\*) Recte circiter a. 1633. Nam sequi demum a. 1634. d. 19 Jan. Oldenburgius decessit, cujus in locum eodem anno m. Majo Ludenius successit.

miam Livonorum Dorpatensem, nuper a GUSTAVO ADOLPHO, Rege, conditam, est translatus, & non Oratoriæ solum atque Poëseos, sed Juris prudentiæ etiam, cujus supremos honores D. Matthias Stephani anno jam 1621. Gryphiswaldiæ ei contulerat \*). Professor constitutus \*\*). Utrique officio & Bibliothecæ simul publicæ, eximia cum diligentia, in exercitiis, præsertim disputatoriis & oratoriis, laude ad annum usque 1649 præfuit, quo vacationem a professione Oratorio-Poëtica, CHRISTINÆ, Svecorum Reginae, beneficio, ob ætatem ingravescentem & merita in Academiam consecutus, hanc Palladis Arctoæ in se benignitatem, Poëmate *de Magnificentia ejus Augustissima* heroico d. 17 Januar. publice recitato, celebravit \*\*\*). Reliquis muneribus \*\*\*\*) pari sedulitate ad mortem usque fatalem, cui d. 21 April. a C. 1654 & æt. 62 \*\*\*\*\*) succubuit, deinceps etiam est perfunctus. Symboli loco, uti ex αυτογραφω  
D d 2  
ejus

\*) Vid. MATTH. STEPHANI *Discursuum de Jure Publico Rost. 1624 editorum secundum de Gradibus Academicis* in ejus Promotione habitum.

\*\*) WITTENUS l. c. & SCHEFFERUS in *Svec. Lit. p. 284.*

\*\*\*) Vid. *Historiæ hujus p. 64 & 162.*

\*\*\*\*) Nempe Juris Professoris & Bibliothecarii; vid. titulus Orationis in hacce Historia p. 65. N. 169. commemoratæ.

\*\*\*\*\*) WITTENIUS, BACKMEISTERUS & GADEBUSHIUS ll. cc.

ejus, quod *Album* exhibet *Morsianum* didici \*)  
hoc usus est hemistichio:

VINCAM MEA FATA PRECANDO \*\*).

Elogia \*\*\*).

D. NICOL. VISMARO Superint. Oldenbur-  
gico (in *Orat. Parent. Doct. Barthol. Batto hab.*  
p. 4.) Vir audit ad stuporem laboriosus, & juven-  
tutis bono ferme ab incunabilis deditus.

D. JOH. BURGMANNO Acad. Gryph. JCto  
(in carmine libro ejus de informatione prudentiæ  
præfixo) *Eunomies decus, invictus Sophies Satelles,*  
*Apollinisque Corculum.*

GEORGII CHRISTOPH. GEBHARDI (in  
Oda supra citata) ita de illo;

*Musa Ludeni, superis & imis*  
*Nota cantando, micat inter omnes*  
*Reliquas Musas, velut inter ignes*  
*Luna Minores.*

Scripta

\*) Fol. 816.

\*\*) Conf. de illo præterea MART. ZEILLERI *P. II.*  
*Sylloges de Historicis* p. 205, 206, PAULI FLEM.  
MINGII *Lib. VII Epigramm. Lat. lit. k. 6. b. k.*  
*7. a.* & KÖNIGII *Biblioth. Vet. & Nova* lit. I.

\*\*\*) Quæ hic, ut alibi solitus est, elogia MOLLERUS  
congeffit, ea, non convenienter quidem ad mei in-  
stituti rationem, sed ne studium, quod in elogiis  
studiose conquirendis ille consumpsit, inutile censere  
videar, cum cæteris ab eo petitis conjungenda putavi.

Scripta \*):

- 1) *Disp. de Optica* Præf. Mævio Volschovio. Gry-  
phisw. 1615. 4:to.
- 2) *Traët. Topicus de Doctrina Inventionis Dia-*  
*lectica ad disput. propositus*, ibid. 1615. 4:0.
- 3) *Deliciæ Anagrammaticæ* ibid. 1616.

D d 3

4) *Traëta-*

\*) De scriptis hujus πολυγραφῶς enumerandis omnium  
primum cogitasse video SCHEFFERUM in *Svec. Lit.*  
p. m. 284-286 & 344. Magno quidem cumulo  
numerum a Scheffero exhibitum, qui ultra XXI non  
progreditur, MOLLERUS auxit in *Cimbria Lit. T.*  
I. p. 365, Conquirendo tamen sedulus hic Scrutator  
tantum non profecit, ut ne addere nonnulla ab eo  
prætermittenda BACKMEISTERUS l. c. p. 173 lq. po-  
tuerit. Sed ne sic quidem completam haberi Ludenii  
scriptorum indicem, ex *Academiæ Grypswald. Bi-*  
*blioth.* patet, ubi T. I. p. 1202 1203 nonnulla enu-  
merantur in ista Bibliotheca asservata, quæ ignota tam  
Backmeistero quam reliquis fuerunt. Ac ne ασυβό-  
λος hinc discedam, addam nonnulla, quæ partim ipse  
possideo, partim apud alios visa annotavi. Sic vero  
quamvis plures simus, qui studium in hac enumera-  
tione consumserimus, tantum tamen abest, ut eam  
esse plenam legenti affirmare queam, ut potius desi-  
derari nonnulla suspicer. Minutiora enim pleraque  
sunt Ludenii scripta, cujusmodi scriptorum hanc esse  
solere rationem experientia docet, ut posteriorum se  
oculis facile subducant: nonnulla tamen, quæ suis annota-  
bo locis, conjunctim edendo, ne nimis festinanter  
distraherentur & in oblivionem venirent, cavere ipse  
Ludenius voluit.

- 4) Tractatus Physiologicus de Anima ib. 1617. 4.º.  
 5) Disp. quæ historice totius Philosophiæ, præsertim autem Practicæ, Naturam explicat, Resp. Paulo Walthero Hamburg. Saxone \*).  
 6) De Natura Ethices deque ανθρωπινη ευδαιμονια, Resp. Hermanno Rodberto Lubecen. Saxone.  
 7) Adjunctis & Consequentibus, seu Signis Summi Boni, Resp. Andrea Piselero Fridlandensi Megap.  
 8) Efficiente & Materiali Virtutum Causa, Resp. Mauritio Schulteto Grimm. Pom.  
 9) Virtute in genere, Resp. Martino Levenhagen Gryphisw. Pomer.  
 10) Fortitudine, R. Joachimo Plötzen Grimmen. Pomer.  
 11) Temperantia, Resp. Eodem.  
 12) Liberalitate & Magnificentia, R. Paulo Brocktorpio, Ecklenford Holsat.  
 13) Magnanimitate & Modestia R. Eodem.  
 14) Mansuetudine, R. Philippo Joele Wolgast. Pom.  
 15) Urbanitate & Humanitate, R. Joachimo Theodori Demminensi Pomer.  
 16) Veritate, R. Joh. Bostelmanno Gryphisw. Pom.  
 17) Mediocritate circa Affectus, R. Eodem.

## 18) Jure

\*) Hanc & LIV quatuor sequentes (cfr. Annot. num 59 subj.) conjunctim, & ante quidem, quam habebantur, editas esse suspicor; nam breviores nonnullæ ex iis sunt, pauciores tantum, & haud raro unam duntaxat paginam complentes, quam ut singulatim prodisse videantur.

- 18) Jure & Justitia Universali, R. Philippo Seltrechtio Wolgast. Pomer.  
 19) Justitia Distributiva, Resp. Georgio Lamberto Verchimen Pomer.  
 20) Justitia Commutativa, Resp. Jeremia Gildemestero Lubecen. Saxone.  
 21) Jure, Resp. Eodem.  
 22) Virtutibus Intellectualibus, Resp. Sebastiano Fürsenio Hamb. Sax.  
 23) Beatitudine Imperfecta deque Semivirtutibus, Resp. Christiano Bünsovio Gryphisw. Pom.  
 24) Virtute Heroica, R. Melchiore Ludenio, Ecklenford. Holsat.  
 25) Constitutione Politices, R. Johanne Boyen Rügenwald. Pomer.  
 26) Republica in genere, Resp. Georgio Barsetio Rügenwald. Pomer.  
 27) Republica quoad Quantitatis Territorii Principia: scilicet de Familiis, & in specie de Societate Conjugali, Resp. Hermanno Rodberto Lubecensi Saxone.  
 28) Societate Dominica, Resp. Joachimo Plötzen Grimmen. Pomerano.  
 29) Patre & Liberis, Resp. Philippo Seltrechtio Wolg. Pomerano.  
 30) Quantitate Territorii, Resp. Christiano Bünsovio Gryphisw. Pom.  
 31) Quantitate Opum, Resp. Mauritio Schulteto Grimmen. Pomerano.  
 32) Quantitate Politica, quæ est in Majestatis Fulgore, R. Georgio Lamberto Verchim. Pom.  
 33) Quali-

- 33) Quantitatis Rerum publicarum Affectione, quæ est in Constitutione & Obligatione Magistratus, Resp. Jeremia Gildemestero Lubec. Sax.
- 34) Requisitis Caussarum Principalium Administrationis, deque Administris Magistratus, Resp. Laurentio Marquardo Gryphisw. Pom.
- 35) Ampliatione Reipublicæ, Resp. Jacobo Porthoëlio Wolgast. Pom.
- 36) Conservatione Reipublicæ Religiosa, Resp. Johanno Zülichio Belgard Pom.
- 37) Conservatione Reipublicæ Civili, R. Eodem.
- 38) Conservatione Reipublicæ Militari, quoad Belli Constitutionem, R. Paulo Brocktorpio Ecklenford. Hollat.
- 39) Belli Administratione, R. Eodem.
- 40) Belli Confectione, R. Eodem.
- 41) Reipublicæ Curatione, Resp. Paulo Frisio Hamburgensi Saxone.
- 42) Statu Qualitatis Reipublicæ in genere, & in specie de Statu Monarchico, R. Paulo Walthero Hamburgensi Saxone.
- 43) Statu Reipublicæ Polyarchico, R. Johanne Helmio Dithmarso.
- 44) Statu Reipublicæ Prolapso, R. Petro Cancellorio Gryphisw. Pomer.
- 45) Subditis, R. Johanne Boyen Rügenw. Pom.
- 46) Statu Reipublicæ Vetusto & Moderno, Resp. Martino Cœpio Julin. Pom.
- 47) Constitutione OEconomia, R. Georgio Barferio Rügenw. Pomer.

48) Socie-

- 48) Societate OEconomica, quæ est in Quantitate Personarum, R. Eodem.
- 49) Quantitate Opum Familiarium quoad Genera, R. Paulo Frisio Hamb. Sax.
- 50) Quantitate Opum Familiarium quoad Media Acquirendi, R. Eodem.
- 51) Quantitate OEconomica, quæ est in Amplitudine Potestatis, R. Emanuele Crusio Grimmeni Pomerano.
- 52) Qualitatis Affectione, quæ est in Administratione Familiæ, R. Eodem.
- 53) Qualitatis Affectione, quæ est in Dispensatione Rerum Familiarium, R. Martino Cœpio Julinen. Pom.
- 54) Qualitate OEconomica quoad Species, R. Eodem.
- 55) OEconomia Speciali, R. Eodem.
- 56) Prudentia Exemplari seu Historica in genere, R. Augustino Capobio Colberg. Pom.
- 57) Historia Universali Sacra, R. Eodem.
- 58) Historia Universali Quatuor Monarchiarum, R. Melchiore Belcovio Demmin. Pom.
- 59) Historia Particulari, R. Eodem.

LV. hasce disputationes, a Num. 5 incl. ad N. hunc 59. uno Volumine comprehensas Gryphiswaldiæ a. 1619 in 4:o edidit & hac donavit in-  
 scriptione: *Historia Practica: utpote est, ETHICA, POLITICA, OECONOMICA, & in specie HISTORIA, quam — — eruditis Juvenibus — — quarum nomina singulis disputationibus, ascripta sunt, exercitii gratia ad disputandum proponebat M.*

E e

LAU.

LAURENTIUS LUDENIUS *Poët. C. Cæs. Prof. Poës. & Hist. Publ.*

- 60) Synopsis Physicæ Sacræ ad disputandum proposita, Gryphisw. 1619. 4:0.  
 61) De Tutelis 1619.  
 62) Chronologia Sacra, publica disputatione exhibitata, Gryphisw. 1620. 4:to.  
 63) Consideratio Eclipseos, ad disputandum proposita, Gryphisw. 1620. 4:0.  
 64) Disp. de Virtutibus Homileticis ibid. 1620.  
 65) Geographia 1620.  
 66) Jus Novellarum Constitutionum Gryph. 1620.  
 67) Disp. exhibens Chorographiam veteris ævi, R. Svenone Christophori Brunio ibid. 1620. 4:0.  
 68) Disp. I. de Libris Legum Juris Civilis, Resp. Martino Cœpio Julin. Pomerano.  
 69) D. II. de Jure Institutionum & Dispositione earum generali, R. Eodem.  
 70) D. III. in Præfationem Institutionum, Resp. Joachimo Reppenhagen Wisn. Megap.  
 71) D. IV. de Fine, ex 1. inf. T. 1 & 2. Resp. Eodem.  
 72) D. V. de Personis quoad Jus Gentium, Resp. Thoma Marckendorffio Jüterbu. Sax.  
 73) D. VI. de Personis quoad Jus Civile, R. Eod.  
 74) D. VII. de Rerum Divisione & acquirendo ipsarum Dominio R. Petro Dargatzio Gryphisw. Pomerano.  
 75) D. IIX. de Rebus Incorporalibus, R. Eodem.

76) D.

- 76) D. IX. de Acquisitione Rerum Particulari ex Jure Civili, R. Eodem.  
 77) D. X. de Hæreditatibus ex Testamento, R. Marco Heidemanno Stralf. Pom.  
 78) D. XI. de Legatis & Fidei commissis. R. Eod.  
 79) D. XII. de Successionibus ab Intestato, Resp. Johanne Langkavelio Cösl. Pom.  
 80) D. XIII. de Bonorum Possessione: Arrogatione: Libertatum conservandarum causa Additione &c. R. Eodem.  
 81) D. XIV. de Successione Universali Legitima, R. Petro Boemo Repp. March.  
 82) D. XV. de Obligationibus ex Contractu & Quasi Contractu, R. Joachimo Tydén Gryphisw. Pomerano.  
 83) D. XVI. de Obligationibus ex Maleficio & Quasi: Resp. Eodem.  
 84) D. XVII. de Actionibus, quibus convenitur reus suo nomine obligatus, Resp. Theodoro Mejero Pomer.  
 85) D. XVIII. de Actionibus, quibus convenitur reus nomine alieno obligatus, R. Eodem.  
 86) D. XIX. de Procuratoribus, Satisfactionibus, & Actionum Proprietatibus, R. Michaële Canuto Gryphisw. Pom.  
 87) D. XX. de Exceptionibus, Interdictis; Pœna temere Litigantium; Officio Judicis; & Publicis Judiciis, R. Eodem.  
 88) D. XXI. de Judicio, Resp. Christiano Langen Stettin Pom.

E e 2

Uno



Uno fasciculo comprehensæ Gryphiswaldiæ a. 1621 in 4:to, prodierunt hæc XXI. Disputationes, hoc titulo: *Methodica Institutionum Imperialium Series, per disputationes Academicas adumbrata, & — — placidis Disputationum exercitiis proposita inter literatiss. — — juvenes, — — quorum nomina singulis disputationibus sunt præfixa, proponente & Præsidente M. LAUR. LUDENIO Poët. C. Cæs. Mathem. Prof. Ord. & p. t. Facult. Phil. Decano.*

- 89) Series Juris Publici, ad titulum Doctoris consequendum, Præside D. Frid. Gerschovio proposita Gryph. 1621. 4:0.
- 90) Religione Elementari, ibid. 1621.
- 91) De Anima, ibid. 1621.
- 92) Disp. de Obligationibus, ibid. 1622.
- 93) Problemata Philosophica, ibid. 1622.
- 94) Oratoria methodice enarrata, ibid. 1623.
- 95) Disp. Geographica de Paradiso, ibid. 1624. 4:0.
- 96) Querimonia lugubris in obitum Philippi Julii Ducis Pomeraniæ, carmine heroico ib. 1625.
- 97) De Parte Optices propria, Visione directa, reflexa, refracta, ibid. 1625.
- 98) Liber de IV. felicitatis humanæ gradibus, exercitiis LXXXIX. complectens universam bonorum, tam internorum animi atque corporis, quam externorum, utilium atque jucundorum, tractationem methodicam, serie præceptorum perpetua exhibitam, ib. 1625. in 4:0.

99) Disp.